

collegio, quorum sibi animos Alphonsus conciliaverat, accedebant. Sed cum tot suffragia, quot ad rem conficiendam necessaria erant, obtinere non posset, re infecta, Ferrariam rediit. Pontifex vero curarum mole depresso, febre calculo que correptus, cum decem menses totidemque dies Ecclesiæ præfuisset, idibus octobris cum pontificatu vitam reliquit: sanctitate privataque virtute inter optimos Pontifices adnumerandus; at neque usu neque constantia tot gravissimis rebus, difficillimis temporibus par; ex quo multa ejus voluntati adversa, dum ex alienis consiliis pendere cogitur, accidere; parvoque mensium spatio, ex quinquagies centenis aureorum milibus, quæ in ærario Xystus congesserat, tricies absumpta sunt.

Gregorio justis persolutis, cum sex ac quinquaginta Cardinales, studiis quamvis factionibusque diversi, ad Pontificem creandum convenissent, unanimi consensu, quarto kal. novembris Joannem Antonium Facchinettum, Bononiensem, sanctæ Mariæ in monte titulo Cardinalem, Pontificem dixere; Innocentiique noni nomen suscepit; religione, integritate, usuque rerum præstans; qui superiori bello turcico Venetam legationem magna virtute ac prudentia obierat. Ea sane, exacta ejus ætate, male affecta valetudine, parum firma censebantur. Quatuor de more ad eum oratores designati, Jacobus Fuscarenus, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus, Marci Procuratores, Albertus Baduarius, omnes equestris ordinis. Initio a se ipso, non ab aliis pendere professus, Galliæ foederatorum patrocinium magna Hispanorum approbatione suscepit; illumque in Philippi voluntate omnino rebantur futurum, tum quod in ea obtainenda dignitate regium favorem expertus fuerat, tum quod Navarræ Regi valde infensus, ob religionem, esset. Cumque Parmensi quinquaginta aureorum millia singulis persolvenda mensibus statim pollicitus fuisset, ut pontificias copias, quæ tunc in Gallia erant, desereret, minime consentaneum arbitrabatur. At contra, qui affectibus non agebantur, Galli quin etiam catholicæ religionis, qui a Rege stabant, non desperabant, fore ut vir tractandis magnis negotiis assuetus, doctrina atque vitæ integritate insignis, gesta Gregorii expendens, diu iis consiliis non insisteret, quæ immensa tantum spe, infirmis vero initiis niterentur. Jam enim ecclesiasticarum copiarum periculum

*Gregorii  
XIV. Pon-  
tif. obitus.*

*Innocen-  
tii VIII.  
Pontif. ele-  
ctio.*

*Vene-  
tioratores ad  
Innocen-  
tium Pon-  
ticem.  
Innocentii  
de rebus  
Gallicis  
confilia.*

fa-